

## Forschergeist

Solemus dicere sumnum bonum esse secundum naturam vivere: natura nos ad utrumque genuit, et contemplationi rerum et actioni.

Nunc id probemus, quod prius diximus. Quid porro? Hoc non erit probatum, si se unusquisque consuluerit, quantam cupidinem habeat ignota noscendi, quam ad omnes fabulas excitetur?

- 5 Navigant quidam et labores peregrinationis longissimae una mercede perpetiuntur cognoscendi aliquid abditum remotumque. Haec res ad spectacula populos contrahit, haec cogit praeclosa rimari, secretiora exquirere, antiquitates evolvere, mores barbararum audire gentium.

Curiosum nobis natura ingenium dedit. Et artis sibi ac pulchritudinis suae conscientia, spectatores nos tantis rerum spectaculis genuit.

- 10 Ut scias illam spectari voluisse, non tantum aspici, vide, quem nobis locum dederit: in media nos sui parte constituit et circumspectum omnium nobis dedit; nec erexit tantummodo hominem, sed etiam habilem contemplationem factura, ut ab ortu sidera in occasum labentia prosequi posset et vultum circumferre cum toto, sublime fecit illi caput et collo flexili imposuit. Deinde sena per diem, sena per noctem signa perducens nullam non partem sui explicuit, ut per haec, quae obtulerat  
15 oculis eius, cupiditatem faceret etiam ceterorum.

Nec enim omnia nec tanta visimus, quanta sunt, sed acies nostra aperit sibi investigandi viam et fundamenta vero iacit, ut inquisitio transeat ex apertis in obscura et aliquid ipso mundo inveniat antiquius: quis fuerit universi status, antequam singula in partes discederent; unde ista sidera exierint; quis loca rebus assignaverit; suapte natura gravia descenderint, evolaverint levia,

- 20 an praeter nisum pondusque corporum altior aliqua vis legem singulis dixerit; an illud verum sit, quo maxime probatur homines divini esse spiritus, partem ac veluti scintillas quasdam astrorum in terram desiluisse atque alieno loco haesisse.